



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XI. De denario sancti Petri, & ciricksceato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

CIRCA
 ANNVS
 CHRISTI
 1009.

Christi fide imbutus intra spatium sexti hominis
 suæ consanguinitatis vxorem ducat, id est intra
 quartum gradum seu geniculum; neque cuiuspiam
 viduam, qui pari fuerit proximitate in mundana
 cognatione, nec vxoris quam habuerat prius ne-
 ptem seu propinquam, nec sanctam aliquam mo-
 nialem, nec susceptricem suam e sacro fonte, nec
 repudiatam quisquam Christianus habeat in vxo-
 rem, nec vxorem aliam capiat dum vnam habuerit,
 sed donec vixerit sit illa vnica, si diuinam legem ille
 recte curauerit, & animam suam a gehennæ igni-
 bus liberauerit.

IX.

Fruatur vnaquæque ecclesia pace Dei, pace re-
 gis, & pace omnium Christianorum. Sit pax vniuf-
 cuiusque ecclesiæ intra parietes, & pax manu regis
 data vsquequaque sit inuiolata. Nemo dehinc in
 posterum ecclesiæ seruitium imponat, nec clien-
 telam ecclesiæ iniuriis afficiat, nec ministrum ec-
 clesiæ eiiciat, inconsulto episcopo.

X.

Iura Deo debita vnusquisque annuatim recte
 pendito: aratri scilicet eleemosynam decimaquin-
 ta nocte a paschate: fetuum seu nouellorum gre-
 gum decimas ad pentecosten, & terræ fructuum
 ad festum omnium sanctorum.

XI.

Census Romæ debitus [quem denarium sancti
 Petri vocant] ad festum S. Petri ad vincula (alias
 Missam Petri) persoluatur: & ecclesiæ census, qui
cyrick sceat appellatur, ad Missam sancti Martini.